



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CIVITATIS QUESADENSIS*** IN COSTARICA
NOVA CONDITUR DIOECESIS CIVITATIS QUESADENSIS Maiori Christifidelium bono studentes consulere sacrorum
Antistites Conferentiae Episcoporum Costaricae unanimo consensu ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, quibusdam
seiunctis territoriis a dioecesisibus Alaiuelensi et Tilaranensi, nova dioecesis conderetur, quo aptius ibidem provideretur
pastoralibus necessitatibus. Nos vero, favente eidem rei Venerabili Fratre Hyacintho Berloco, Archiepiscopo titulo
Fidenatensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis enixis precibus libenter
obsecundandum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, sequentia decernimus: a dioecesi Alaiuelensi
separamus territorium pagorum nuncupatorum San Carlos, Los Chiles et Sarapiquí et a dioecesi Tilaranensi seiungimus
territorium pagorum vernacula nempe Upala et Guatuso nominatorum qui ad superius modo commemoratam adhuc
pertinuerunt dioecesim atque ex ita distractis territoriis novam constituimus *Civitatis Quesadensis* dioecesim
appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicti pagi simul sumpti, prout in civili lege exstant, nunc
terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe Ciudad Quesada ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in
honorem Sancti Caroli Borromeo dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus cuique propria
insignia, privilegia et honores tribuimus. Praeterea dioecesim Civitatis Quesadensis suffraganeam efficimus
metropolitanae Sedi Sancti Iosephi in Costa Rica eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iosephi in
Costa Rica subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum,
quibus Praesules Ordinarii locorum fruuntur atque adstringuntur. Mandamus insuper ut quam primum ibi ad normam iuris
constituatur collegium consultorum, qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae quidem ac dignae
sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum,
quae eidem obvenire debent e divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda quaeque hactenus ad
mensas episcopales dioecesum Alaiuelensis et Tilaranensis pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii
dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur quidem praescripta iuris
communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; cum
fas erit, selecti Seminarii alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes sua studia
completuri, Romam mittantur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum
administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae
canones Codicis Iuris Canonici praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta
fuerit, eo ipso sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri
autem clerici Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent
domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia

pertinent, a Curiis Alaiuelensi et Tilaranensi ad Curiam Civitatis Quesadensis quam primum transmittantur. Quae praescripsimus, perducet ad exitum Venerabilis Frater Hyacinthus Berloco, quem diximus, cuique tribuimus necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis de more remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1086-1088 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana